Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-566568-p0001-5

Tomus XIII
Miscellaneorum Philologicorum.

בשש:

EXERCITATIONUM PHILOLOGICARUM
In

PSALMUM PRIMUM,

PRIMA,
Ad Ejusdem Comma primum:

habebitur publicè
In Electorali Academiâ Wittebergensi,
PRÆSIDE

ANDREA SENNERTO,
Profess: Publ:

Respondente,

M. MATTHIA WASMUTH,
Chilonio-Holsato.

ad d. 23. Martij, horis antemerid.
in Auditorio Majori.
ɔIↃ ɔI c LIII.

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.



בביעע!

PSALMUS PRIMUS:

Notis illustratus sufficientibus, maximè Philologicis, &c.

Proëmium.

PRinceps hoc Carmē ἀνεπίγραφον est. Quin auctorem tamen habeat idem suum cum aliis plerisq; Davidem regem & prophetam nulli dubitamus. Præcipueq; vel deo saltem, ut minimè addamus plura, quia subsequens etiam, ut ut nomen sui autoris non habet præfixum & ipsum, eidem tribuitur, Actor. IV. comm.25. conf.cap.XIII,33. imò aliàs integer Liber Psalmorum à Servatore nostro sub Davidis citatur nomine, Luc.XX, 42. Porrò Psalmus hic est purè generis didascalici, quod ad verba: nisi paræneticum & simul ratione scopi dicere velis eundem. Summa sive argumentum est, quod agat de ultimo & vero hominis fine, sive Εὐδαιμονίᾳ, ut vocant; summo scil. hominis Christiani Bono, sive membri Ecclesiæ militantis veri verâ & solidâ in DEO beatitudine. Unde habetur præfatio à quamplurimis, sive proëmium esse in Psalmorum librum integrum:

tegrum: imò argumentum totius Pſalterii, unâ quidem cum ſubſeq ſecundo. Quorum ideo primus, hic noſter, ſummam totius Legis, ſtudium nempe Verbi divini & cultum veræ religionis, alter, ſecundus, Evangelium proponit. Egregiè de hoc noſtro, Baſilius M. Tom. I. Oper. heic: *Quod in domo eſt fundamentum, in navi carinâ, in animali cor, idem toti Pſalmorum libro Pſalmus hic eſt, & Pſalterij proëmium ſ.* Nec minus Petr. Chryſologus, Epiſcop. Ravennas, Serm. XLIV. *inſtar clavis eſt*, ait, *hic Pſalmus aulæ regalis, quæ ubi primam januam patefecit, penetrales reddit intimas & multiplices manſiones.* Aliter paulò argumentum item concipi poteſt hujus Pſalmi hiſce duobis quaſi verbis: quod ſit Deſcriptio Pii & Impii. Partes ejus ſunt duæ: (niſi tres:) Propoſitio atq; Ἀπόδοσις brevis, ſive confirmatio, hæc verſ. ult. Propoſitio bimembris vicisſim eſt: Κατασκευὴ primùm, nempe explicatio veræ illius ac ſolidæ beatitudinis ſ. ſententiæ de eadem: commate 1. 2. & 3. Ἀνασκευὴ porrò, refutatio contrariæ ſ. falſæ opinionis: verſ. 4. & 5. Illius vicisſim veræ felicitatis datur ſive affertur ἀπόφασις, negatio, quid fugiẽdum ſit beato, verè qui talis eſſe vult, Viro, *Comm. 1.* καταφασις affirmatio, quibus contrà ſtudendum: eaq; ſimplex, *verſ. 2.* hinc per declarationem, exornationem ſive amplificationem, *verſ. 3.* De ἀνασκευὴ & ἀποδόσει jam ſuprà ex parte dictum. Ἀνασκευὴ ſcil. enim deſcriptio eſt Infelicitatis ſummæ è contrario Impiorum, *verſ. 4. & 5.* Ἀπόδοσις & Confirmatio ſive αἰτιολογία petita eſt à naturâ DEI miſericordis & juſti inſuper (ſive Ejusd. Judicio) ut remuneratoris utrorumq; pii & impii: *verſ. ult.* Unde Summa denique formari rei, vel collectio

aut

aut ἀναπεφαλαίωσις vicissim institui ejusdem talis posset: Bonis bene est & erit: *vers. 1. 2. & 3.* malis malè. *vers. 4. & 5.* ratio: quia DEUS utrorumq; viam distinctè agnoscit: *vers. ult.* Quorum enim quidem viam (clementer) agnoscit & approbat, illi sunt beati: quorum via peritura est, impii & infelices.

TRACTATIO,
sive
Analysis Textus Philologica.

PARS PRIMA.

Vers. 1.

אַשְׁרֵי *Beatitudines*] Primus hicce mox scopulus, in quem impingere proclive satis, facileq; nimis oppidò erat, nisi cautè ingrediare & circumspectè. Enimverò sanctè principiò obtestamur hisce statim, nemini detractum aliquid nos cupere eorum, à quibus cum pace & bonâ gratiâ eorundem recedere hac vice sentiendi permittit sanè libertas, non dicam fluctuantes primùm huc & illuc Veritas vel invitos tandem coëgit. Nimirum in duplex scinduntur quasi agmen hîc Scriptores. Aliis vocabulũ אַשְׁרֵי Nomen esse sentiẽtibus, aliis Particulam sive adverbium: ac qui nomen quidem, aliis vicissim Adjectivum, aliis Substantivum, utrisq; in statu constructo positum. Adjectivum statuunt (si quidem aliàs ex translationibus singulis fortè Voces aut Vocum formas liceat æstimare) Vulgatus, qui: *Beatus* Vir. Eundem

in modum LXX. μακάριος: nec non Theodotio, qui πόλεως. V. J. Druſ. in frag. vet. interpr. Gr. p. m. 867. Ita Münſterus in commentar. Pagnin Vatabl. Tremell. Jun. Oſiander hic. Piſcator, qui: Selig iſt der Mann. Subſtantivum eſſe ſentiunt, & quidem, ut ſupra modo dictum, in ſtatu conſtructo poſitum: Targum, quod: טוּבֵיהּ דְּגֻבְרָא *beatitudines* Viri. Syrus, qui: טיבוהי לגברא *beatitudines ſuæ* Viro: Arabs: טיבי אלרגל *beatitudo* viro. R. D. Kimchi hîc & in Michlol, R. Slomoh, Reuchlin. in Capit. Concord. Arias M. in op. reg. Münſter. Buxtorf. in Lex. & Concord. Avenar. in Lex. Pagninus ex parte, ibid. Geſner. in Comment. Franz. in de Interpret. S. S. Orac. CXXIV. p. m. 778. Henr. Mollerus, Marloratus, Lorin. Genebr. in h. l. Tarnov. ibid. & prolixius nonnihil in exercitat. p. m. 76. ſeqq. B. Lutherus denique; hîc, Tom. Jen. II. pag. 1. plurimi alij: Particulam denique atque adverbium in ſpecie Fr. Raphelengius, Förſterus, Schindl. in Lexic. Bertramus, Mercerus in comm. ſuper Proverb. Salomonis, Bellarminus, hîc, ſcil. in Pſ. prim. item alii adhuc fortè. Ac iſti quidem reddunt adeo per: *Beatus* Vir: illi *Beatitudines* Viri, ex genio lingvæ originalis, q. dicas: beatiſsimus Vir, de quo poſtea. Hi *ô beatè, ô bene* virum illum. Lutherus: Wol dem. Ac res quidem eò fere redit, ſi ſenſum aut transpoſitionem potiùs vocabuli reſpicias: ſed deceat Philologum præcipuè atque Grammaticum nihilo-ſecius & ſollicitum eſſe, quâ Vocis formâ Spiritus S. aut Ejus amanuenſes uti voluerint. An particula itaque, an verò Nomen, & quale illud ſit in peculiari quid. hac de re Quæſtione propoſitâ infrà (*Quæſt. II.*) diſpiciemus.

Hac

Hac vice nihilominus, intereaque hæc sufficiant seqq: atque statuimus omninò asserimusq;, citra tamen cujusquam præjudicium, esse Nomen id vocabuli,& quid. Substantivum numeri multitudinis, inq; id statu regiminis quem vocant, positum. Idq; breviter deducimus hunc in modum: Singulare inusitatum est (Conf. Avenar. in Lex.) אֶשֶׁר *beatitudo*, formæ דֶּרֶךְ מֶלֶךְ Ex hoc licito modo, ac citra majorem aliquam difficultatem resultat deduciturque numerus multitudinis, juxta Præcepta gramm. nostræ edit. pag. 126, membr. 3. pag. 129, m. 2. p. 111. אַשְׁרֵי *beatitudines* formæ עֲבָרִים Status v. regiminis (nihil obstante, quod de statu affixionis, diverso sc. ab hoc nostro, præter adeoq; rem objicitur; de quo infrà in Qq:) per pag. 135, m. 3. pag. 136, 4. pag. 119, 3. אַשְׁרֵי formæ עֲבָרֵי Atque porrò ex genio lingvæ nostræ, cujus exempla abundè prostant, (V. infrà inter Observationes, *primam*) Abstractum pro Concreto positum denotat jam superlativam locutionem: q. dicas: verè atque longè beatissimus Vir hic est, multis, imò omnibus omninò modis est beatus, omnibus etiam beatitudinibus, temporali & æterna, conf. 1. Timoth. IV, 8 aut certè hac unâ verâ, quæ est secundùm DEUM, quæq; in se se omnia omninò bona complectitur. Quorsum quidam volunt adhibitum etiam, deq; studio, numerum רַבּוּי pluralem, non singularem, ad omnem ὑπερβολὴν s. excellentiam aut plenitudinem potius Beatitatum indicandam. Unde רָדָק in comment. in h. l. *Ideo est*, inquit דִּבֶּר שֶׁהוּא בְּלָשׁוֹן רַבִּים *in plurali numero, ut inteligi detur, non unum genus tantùm boni aut* טוּבוֹת רַבּוֹת וְצָרָכוֹת *prosperitatis sufficere ad beatitudinẽ, sed multa*

multa bona debere confluere. Quâ ratione etiam apud profanos autores describitur Summum Bonum s. Beatitudo civilis per *cumulatam complexionem omnium bonorum*. Cicer. in qq. Tuscul. & per *omnium bonorum aggregationem*. Sever. Boët. 4. de consolat. philosophicâ. A prædicato verò cur potiùs, & non subjecto incipiat Vates, contra usitatum fere morem, V. post Hilarium & Theodoretum, item Basil. Magn. in comment. impr. D. D. Tarnovius in h. l. p. m. 12. Ita nimirum volunt: quandoquidem Spiritus S. hoc loco describat Ethicam Christianam, ordiri eundem methodo analyticâ à fine ejusdem: item Davidem hîc Dominum suum atque filium imitari in spiritu, qui & ipse Matth. V. à Beatitudine spirituali exorsus est sermones suos. Conf. quoque, si placet, vicissim Præcepta nostr. ed. pag. 140, 10. & pag. 134, 1. & 174, 6.

הָאִישׁ *Illius Viri*] Sequitur Subjectum propositionis. Cæterùm est אִישׁ nomen sexus hoc loco, non excluditur fœmina, adeoque significat hominem: quemadmodum vel ideo etiam nonnulli reddunt (Avenar. in Lex. Piscator in comment. Esrom. Rudinger. in paraphras. in h. l. Luther: Wol dem) Mage tamen Spiritus S. uti voluit voce אִישׁ, quam aliâ אָדָם vel אֱנוֹשׁ (quæ tria quidem vocabula aliàs habent Ebræi, quibus Hominem notant) quia alterum, posterius, propriè hominem infirmum (Conf. Drus. præter. lib. VIII. pag. 332.) alterum vulgarem & plebejum significat, utrumque fere terrenum atque naturæ suæ viribus appropriatis relictum: illud verò אִישׁ & sexum quidem, ut h. l. at enim animum præcipuè, indigitatque ejusdem virtutes

&

& operationes, Conf. loca: Pſalm. XLIX, 3. quæ verba B. Lutherus reddit: beyde gemeine Mann vnd Herren/ Pſal. LXII, 10. aber Menſchen ſind doch gar nichts / Groſſe Leute/ &c. Jeſ. II, 9. da bücket ſich der Pöbel / da demütigen ſich die Junckern/ &c. Unde non rarò & abſolutè poſitum nomen ἀρετῆς eſt, ut loquuntur, h. e. denotat Virum præſtantem, fortem, excellentem: ut I. Sam. XXVI, 15. *& dicebat David ad Abner: nonne* אִישׁ Vir *tu es? & quis eſt ſicut tu in Iſrael?* & Virtuoſum, pium in ſpecie quoque, qualis in hoc locò noſtro deſcribitur: ut: 1. Reg. II, 2. *& fortis eſto; & ſis* לְאִישׁ in Virum *ſive* Vir (Targ: לְגֻבַר דַּחֵיל חֲטָאִין *vir timens peccata*) quemadmodum in textu ſequitur: *cuſtodies cuſtodiam Domini DEI tui, ad ambulandum in viis ejus, ad cuſtodiendum præcepta ejus & judicia & teſtimonia, &c.* Ita Jerem. V, 1. *diſcurrite per vias Jeruſalem & quærite in plateis ejus, an inveneritis* אִישׁ Virum (Targ: גְּבַר דְּלֵית עֲבָדִין טָבִין *Virum, cui ſunt bona opera*) *an ſit faciens judicium, quærens veritatem, &c.* Hinc Lutherus in Geneſ. Cap. III. tom. Jen. VIII. fol. 157. Das Wort איש inquit, wo es allein ſtehet, ohn ein Weib/ heiſt es nicht ſchlecht ein Mannsbildt, wie alle Männer ſind/ ſondern ein Auſbund vnd fürnehmlichen Mann / wie wir Deutſchen auch ſagen: Das iſt ein Mann / das wil ein Mann werden. Quæ cauſſa eſt (neu fruſtrà enim id fieri exiſtimemus) quamobrem הַיְרִיעֶרֶת ה ſive Mulierositò additur, quò nimirum eò major reddatur ἔμφασις, digitoq; quaſi oſtendatur *Ille Vir*, qui poſtmodum vivis deſcribitur ſuis coloribus & in antitheſi verſ. 1. & theſi v. 2 & 3. Aliàs Originem Vocis hujus quod concernit; primitivum verius eſt; nonnullis deducitur tamen

à Verbo Substantivo יֵשׁ *esse, existere:* (quâ ratione אֵ effet servile) unde יְשׁוּת Rabb: & תּוּשִׁיָּה *Essentia, Substantia,* q. quam & ipsam καθ' ἐξοχὴν post DEUM Vir referat. Longiùs multò à vero recedunt, qui ab אֵשׁ deducunt, *igne,* aut אָשַׁשׁ *firmus, robustus fuit* (cum quo quidem cognationem quandam fortè habere concedere tamen possumus) longissimè verò omnium, qui ab אָוֵשׁ Rabb. *sonuit, personuit.* V. Schindl. in Lex, rad. אוּשׁ

אֲשֶׁר לֹא הָלַךְ בַּעֲצַת רְשָׁעִים *qui non ambulat in consilio impiorum*] Hactenus Subjectum, potiùs Propositio integra: sequitur nunc illius descriptio, hujus verò declaratio: quæ quidem fit καθ' ὑποφασιν sive ἄρσιν. Cujus vicissim tria membra, veriùs gradus sive gradationes totidem sunt: primus Fuga Impiorum simplex, sive detestàtio eorũdem. Quem in modum Poëta etiam ethnicus. (Horat. lib. 1. epist. ad Mæcen.)

Virtus est, vitium fugere: & sapientia prima
Stultitiâ caruisse.

& quorsum imprimis Apostolus ex Menandro, 1. Corinth. XV, 33. Φθείρουσιν ἤθη χρηθ' ὁμιλίαι κακαί: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Cæterùm desumit metaphoram vates à consilio, sive potiùs conciliabulo quodam, eorundemque, qui intersunt huic, familiari conversatione. הָלַךְ enim & hîc idem est ac conversari cum aliquo, aut occupatum esse in re aliqua: conf. Psalm. CXIX, 1. Gen. V, 22. & 24. cap. XVII, 1. imò planè nonnunquam vitam vivere, tenere certum aliquod vitæ curriculum, quemadmodum impr. hunc in modum adjectis deinceps diversis voculis notat bene vel malè vivere, Proverb. X, 9. הוֹלֵךְ *qui ambulat sincerè,* יָלֵךְ *ambulat*

bulat ſecurè. Lutherus: Wer vnſchuldig lebet/ der lebet ſicher. Conf. Flacij Cl. part. 1. voce *ambulare.* p. m. 34. Ac porrò præteritum pro præſenti ponitur, notante adhæc actum continuum: de quo plura infrà in peculiari obſervatione, *Obſervat. IV.* Unde per Præſens hoc loco reddidimus: qui non *ambulat.* Chaldæus eundem in modum vertit: דְּלָא הַלִּיךְ Similiter Syrus: quod ad hæc verba bina: reliqua v. infrà paulò. Arabs verò: אלדי לם יתבע *qui non ſectatus eſt:* (ſequitur enim proximè ראי אלמכאלפין *ſententiam contradicentium.*) LXX: ὃς οὐκ ἐπορεύθη. Vulg. *qui non abijt:* non ſatis accuratè: ſecutus fortè Quintam & Sextam editiones, quæ & ipſæ ἀπῆλθεν. Lutherus: der nicht wandelt: ita etiam Piſcator. בַּעֲצַת Nom. fœm. g. in ſtatu conſtruct. poſitum, abjectâ primâ rad. Jod, cum ב præfixâ particulâ, *In.* Rad. יָעַץ *conſuluit, conſilium inijt, dedit.* Nom abſolutum עֵצָה atque mutatis deinceps mutandis עֲצַת in regimine, *conſilium, deliberatio, mentis agitatio ſollicita,* non rarò cum malitiâ conjuncta variâ. V. Jeſ. XLVII, 13. Lutherus: Du biſt müde für der menge deiner Anſchläge. Sunt qui cum יצע *ſtravit,* & יעז *robuſtus fuit, obfirmavit* conferunt. Conrad. Kirchnerus in Concord. V. T. Avenar. Förſter. in Lexic. quod conſiliis firmetur inquiunt, domus, habeatque fundamentum bene ſtratum. (Cor. Janſenius, in h. l. itemque Lorinus, heîc עֵצָה עֲצַת *Conſilium,* per צ & ſ. עֵדָה עֲדַת *concilium* per ד & c ſollicitè & directè cõtradiſtinguunt.) Quæ quidem tranſeant. רְשָׁעִים *impij* ſunt, mente & animo propriè tales, intrinſecùs maximè qui mali ſunt, irrequieti, qui animæ perturbationibus agitantur aſsiduè

variis & malis, instar maris, conf. omninò Jes. LVII, 20. seq. *Impij* רשעים, *ut mare sunt propulsum; nam quiescere non potest, & aquæ ejus expellunt cœnum & lutum. Non pax est impijs.* Proverb. IV, 16. *Non dormiunt, nisi malefecerint &c.* Radix enim est, רָשַׁע inquietum, turbulentum, item perversum esse: cognationem habet cum רָעַשׁ moveri, commoveri, V. Avenar. Schindl. in Lexic. & opponitur שָׁקַט *quietus, tranquillus fuit.* Conf. Jes. l. cit. Hinc רָשָׁע Nom. sing. à proprio, internâ malitiâ, inquietudine improborum, id qui quotidie versant, meditantur, deliberant, varias comminiscuntur ideo rationes, omnem movent lapidem, ut sic dicam, sive per fas fiat sive nefas, modo ad propositum suum deveniant, carnisq; suæ desideriis improbis satisfiat: exemplo Achitophelis, Hamanis, Judæ Iscar. Id notumq; est Philosophi, de hujus farinæ hominibus: καπάζει αὐτῶν ἡ ψυχή. Alii præterea Vocis hujus significationem, quod scil. internam malitiam hominum maximè, sive intrinsecq malos, denotet, præsertim hoc loco, probant etiam ex antea dato vocabulo עֵצָה quod *consilium*, h. e. interna animi deliberatio ipsis tribuitur: item ex antithesi, quod vers. seq. (in καταφάσῃ) piis tribuatur Voluntas & delectatio in lege DEI. V. omninò D. Gesner. b. m. in h. l. p. 2. col. 2. Chaldæus: בְּמִלְכָּרְתְּ רַשִׁיעִין eundem in sensum cum fontibus reddit. Syrus verò mutuatis transpositisque huc (minùs benè) ex membro proximè seq: verbis interruptaq; adeo gradatione: באורחא רעולא *in via improborum.* Arabs quomodo multoq; ille meliùs, V. suprà paulò. LXX ἐν βουλῇ ἀσεβῶν. Theodot. V. & VI. editiones ἐν βουλῇ ἀλλοτρίων.

At

At verò vid. Druſ. fragm. in h. l. Vulgaris: *in conſilio impiorum.* Luther. & Piſc. Jm rath der gottloſen. Addimus id unum ſaltem adhuc: רְאֵבֵן in comment. hîc deſcribit tales: רשעים הם שאינם עומדים על מכונת אחת *improbi ſunt, qui non ſubſiſtunt ſuper diſpoſitione unâ.* R. Levi verò aliàs definit improbitatem & probitatem: הרשע הוא הוטייה מרבר הראוי והצדק ההליכה בדרך הראוי i. e. *Improbitas eſt declinatio ab eo, quod decet & juſtum eſt,* & viciſsim *probitas eſt inceſſus in viâ rectâ & convenienti:* non abſimilem planè in modum, ac Pſaltes h. in loco, in commate hocce. Eſt igitur tandem, ut conſtat ex dictis, *ambulare in conſilio impiorum* (hoc primo membro) conſvetudine delectari horum (licet vel ex infirmitate etiam ſive imbecillitate id fiat humanâ) vitam, mores ac ſtudia imitari talium, frequentare cœtus ſimilium hominum (quorum neglecto vero DEO, Mundus aut Venter Deus eſt) quiq; variis horum gratiâ æſtuant cottidie cupiditatibus, ut ut fortaſsis iidem & nondum exeruerint easdem ſatis, aut in actum deduxerint omninò, multò minùs adhuc ſint obdurati. Gradatione enim, ut dictum ex parte, dicetur, ideo utitur Vates: ac ſequitur jam porrò:

וּבְדֶרֶךְ חַטָּאִים לֹא עָמָד *& in via peccatorum non ſtat.*] Alterum ἀποφάσεως membrum, idemq; is gradus ſ. gradatio: habitus nempe jam jam acquiſitus ſecureq; ac malitiosè peccantium; vel potiùs eor undem deteſtatio: metaphorâ deſumptâ à viâ tritâ bene, vel ſemitâ. Hinc enim דֶּרֶךְ primùm utitur vocabulo vates: quod viam, progreſſum, decurſum per ſpatia certa intra ter-

minum à quo & ad quem, metaphoricè uſum, conſvetudinem, vivendi rationem certam, atque actum continuum ſignificat non rarò: conf. Gen. VI, 12. cap. XVIII, 19. Jerem. XXII, 24. Jeſ. VIII, 11 cap. X, 24. Unde Chaldæus notanter: וּבְאוֹרְחַת חַיָּבִין reddit: אָרַח enim *iter fecit* eſt, & אֹרַח *itiner, via*, metaphoricè *conſvetudo:* & Aben Ezra hîc inquit: דרך כי הוא הרגיל ללכת בה, *via, quia aſſvefactus eſt ambulare in eâ.* חַטָּאִים ſecundà Conjugatione, quæ intenſiva eſt, ut notum in vulgus, deducto plurali tantùm (legunt tamen quædam exemplaria etiam חטאים per (-) & absque dageſch, in primâ, quaſi verò ſit à participio præſenti חֹטֵא Eccleſ. VIII, 12. IX, ult.) à חָטָא propriè *errare*, & à ſcopo, metâ aberrare, conf Jud. XX, 16. ſunt qui peccant actualiter; quod nefariè excogitarunt, opere ipſo jam adimplent, non ampliusq; vel ex ignorantiâ aut infirmitate, vel ſemel atque iterùm, ſed per habitum malè agendi acquiſitum obfirmatumq;, ex deſtinatâ quadam malitiâ, citraq, ferme ſenſum alicujus numinis divini *(præfictâ fronte*, Marloratus in h. l. *ita, ut hinc meruerint cognomen Peccatorum)* quales חטאים deſcribuntur Sodomitæ, Geneſ. XIII, 13. quanquam & tertii Ordinis, de quo tum poſtea, fuêrunt inter ipſos, generi v. gr. Lothi, de quibus cap. XIX, 14. quod fuerit כִּמְצַחֵק בְּעֵינֵיהֶם es war ihnen lächerlich/ Lutherus. Quam porrò חטאים ſignificationem iterùm B. Geſnerus in h. l. pag. 3. col. 2. probat ab antecedentis vocis דרך natura vel ſignificatione, jam modo expoſitâ: & vicisſim ab antitheſi commate ſeq. quod piis tribuitur meditatio & exercitatio

tatio in lege DEI. Cæterum Verbi עמד *ſtetit* emphaſis & ipſum id inſuper confirmare poterat facilè, (B. Lutherus hîc: *ſtetit* pertinaciam quandam ſignificat &c.) quod non rarò ſignificat inſiſtere, perſiſtere, pedem figere vel manere ad tempus alicubi, aut, quod idem eſt, moram denotat infertque conſtantiorem in re aliquâ: V. & conf. Oſ. X, 9. Eccleſ. VIII, 3. Pſalm. XXIV, 3. & XIX, 10. Jſrael/ du haſt ſeind der zeit Gibea geſündiget/ darbey ſeind ſie auch blieben. Luth. Oſ. loc. cit. Chaldæus, ut ſuprà ex parte dictum, reddit: וּבְאוֹרְחַת חַיָּבִין לָא קָם *& in itinere, viâ, peccatorum,* (חַיָּבִין & חַיָּבָא חַיָּב *rei, debitores,* jam jam convicti ſunt propriè criminum, debitorum, condemnati denique: חוב Rabb: radix atque nomen tum poſtea: *reum, debitorem eſſe, peccare, creditum, debitum* & *peccatum*, in Targ. ſæpiſsimè) *non ſtetit, ſubſtitit*. Syrus verò malè iterùm transpoſitis huc (v. & conf. ſuperiùs membrum primum) ex eodem verbis, quanquam vicisſim tamen ſaltem ex parte, gradationeque, ut dictum tùm, interruptâ: ברעינא דחטיא *in cogitatione, mente, ſententiâ, peccatorum*, לא קם *non ſtetit*, vel *ſtat*. Arabs verò planè in noſtrum modum vel ſenſum: ולם תקף פי טריק אלחאטיין *& non ſtetit (ſtat) in viâ peccatorum*. LXX: καὶ ἐν ὁδῷ ἁμαρτωλῶν οὐκ ἔστη: Lutherus: noch tritt auff den weg der Sünder. *In viâ* adeoq; *peccatorum ſtare*, (hoc membro ſecundo) idem erit, ac cum ipſis dictis malitioſis, convictis notoriisque peccatoribus eadem malitioſè & ex contracto tali habitu peccare peccata patrareque.

וּבְמוֹשַׁב לֵצִים לֹא יָשָׁב *& in conſeſſu deriſorum non ſedet*] Ulterior atque extremus planè conſummatis-

ſimus-

simusque idem gradus extremè malitiosorum hic est: Derisorum nempe sive Illudentium, ἀθέων, quibus sedes quasi, eaque vel placida, inque cathedrâ sessio mollis, quasi artem hancce qui ipsi profiterenter unam, haudque illam vulgarem, ideo tribuitur: non via amplius aut progressus, multò minus deliberatio apud animum interior saltem; conscientia potiùs dormitans, imò stupefacta quædam, penitusque cauteriata: nihilominus lingva vicissim petulans atque virulentissima. Qualis extremissima, ut sic dicam, impietas à philosophis atque aliis nonnullis ἀπολίθωσις, quia tales quasi in lapides vertuntur homines, vocatur: sicut & in Scripturâ S. cor durum & lapideum habere dicuntur: ab aliis θηλύτης & θηλωδία nominatur, quia obbrutescunt planè similes homines, vel potiùs Diaboli induunt naturam ipsius: quales describuntur 1. Timoth. IV, 1. & 2. 2. Petr. II, 12. seqq. Judæ vers. 10. seqq. Joh. VIII, 44. Ephes. IV, 18. & 19. pleniùs graphiceque à Spiritu Sancto, cùm aliàs depictos infrà item hîc videbimus. Hac vice vim verborum geniumque sectari eorundem deceat. וּבְמוֹשַׁב / וְעַל מוֹתָבָא, καὶ ἐπὶ καθέδρᾳ, *& in cathedrâ* Syrus, LXX, Aquila, Symmachus, V. & VI. Ed. Vulgata, Hieronymus unanimiter ita reddunt. (Perperam Lorinus in h. l. Syriacè *mons*) Negligit hoc vocabulum, subjectum sc. sive materiam substratam sessionis planè Arabs, ut infrà videbimus. Chaldæus verò וּבְסִיעַת *& in cœtu, congregatione*: latius aliquam: אִסְתַּיָּא Rabbinicum ad formam Ethpaël, *congregari & congregare se.* unde סִיעָא superius. Lutherus, quasi qui utrumque & conventum sive conciliabulum, & cathedram simul sive sedile expri-

exprimere velit: noch ſitzet da die Spötter ſitzen. In quem ſenſum Tertullianus etiam lib. de ſpectac. cap. 3. & ad conventus & ſedilia ſpectaculorum locum hunc accommodat noſtrum. Ac notat quidem מוֹשָׁב, à יָשַׁב *ſedit, habitavit, manſit, perſeveravit*, nunc pauliſper, nunc longiùs aliquantum, & locum & inſtrumentum: *habitationem* nimirum, *manſionem, conſeſſum, ſedem*, & *ſedile* ſive *ſellam* aut *cathedram*, Pſal. CVII, 4. & 32. 1. Reg. X, 5. 1. Sam. XX, 25. Apud Rabbinos item *ſellam familiarem*, ubi ſedent alvum exonerantes: ac יְשִׁיבָה vicisſim ab eadem radice iisdem eſt *Schola, Gymnaſium, Academia, Univerſitas*, (רֹאשׁ הַיְשִׁיבָה *Rector Academiæ*) Et locus & tempus atque inſtrumentum ſimul his לְצִים tribuitur ideo hac unà voce: quod & ſubſeq: verbum יָשַׁב multò magis confirmat ejusdem notionis, quod ut modò, licet ex parte, dictum ſuprà, *commorari in aliquo loco, liberè converſari, ſecurum eſſe, vivere, in utramq; q. aurem dormire* ſignificat: quo non ſtabilitas quidem aut firmitudo talium (cùm omnia horum ſint fluxa & caduca) ſed potiùs & ſecuritas ſumma & finalis perſeverantia horum extremè facinoroſorum indicatur. Eſt autem *Sedere* propriè, non tam ut corporis habitum notat, quàm adjunctam huic gravitatem ſive authoritatem, regum, principum, judicum, ſenatorum, doctorum: Proverb. XX, 8. 1. Reg. I, 35. cap. II, 12. 2. Reg. XIII, 13. Pſalm. CXXII, 5. Ruth. IV, 2. 1. Samuel. I, 9. Matth. XXIII, 2. adeo quidem ut Leges negent, ratam eſſe ſententiam hanc, quæ à judice non ſedente fuerit lata. לֵיצִים porrò Deriſores, ἐμπαῖκται, con-

contemtores, ſycophantæ, calumniatores, obtrectatores, ſcurræ, momi, eſt à לוּץ *illudere, ludificare*, ſiniſtrè interpretari alicujus ſeu dicta ſeu facta, ex faſtu & malitiâ quadam, etiam concinnato ac aptè in hunc finem compoſito ſermone: הֵלִיץ enim, in tertiâ, in bonam partem ſæpè (ita Rabbinis imprim.) *ornatè & oratoriè loqui, ornato ſermone aliquid tegere, palliare*, ſignificat. Unde מְלִיץ *Orator, interpres lingvarum*, Dolmetſcher/ הַלָּצָה *Oratio proſa*, מְלִיצָה *eloqventia*. & viciſſim דֶּרֶךְ לְצָנוּת *Ironia*, modus ſalsè aliquid irridendi. Avenarius in Lexic. peculiarem fingit ob unam vocem לְצָצִים Oſ. VII, 5. radicem huic noſtræ cognatam, לצץ *ſales, ſcommata dixit, ſugillavit*, dicteriis mordendo, & malè interpretando, quæ ab aliis dicuntur, illuſit &c. quæ tamen commodùm ad noſtram ſatis reducitur. Nunc verò quid hîc Μεθερμηνεῖς? meritò ſanè quidem & hosce audimus iterùm. Autor itaque Targumi, Chaldæus: מְמִקְנֵי (ita Syrus: ממיקנא) *deriſorum*, à מיק ejusd. quidem notionis radice: pro quò, priore (apud Chaldæum) opinatur Schindlerus, quod pace ejus dicam, in Lexico heîc, eſſe legendum: מְמַיְקִין q. in Pael participium ſit: verûm verò haud facilè admittit ejusdem hanc lectionem Nomen & ipſum uſitatum non minus heemanti, perſæpeque in Proverbiis: מְמִקִּין & impr. emphat. מְמִקְנָא *deriſor*, Proverb. IX, 8. cap. XX, 1. in plurali abſol. tum poſtea: מְמִקְנִין Pſalm. CXIX, 51. emphat. מְמִיקְנַיָּא Pſal. XXXV, 16. conſtruct. מְמִיקְנֵי Prover. XIX, 29. & hoc loco. Nota: hinc Græcum μωκᾶσθαι & μωκὸς & μωκάω, μωκίζω, quod Heſych. Athen. & Svidæ χλευασήν, μωρὸν,

μωρὸν,, publicè q. notatum irriſorem, ſcurram notat. Arabs integrum hoc membrum totidem ſaltim legit verbis, ut ſequitur: ולם יגאלס אלמסתהזין *& non conſedit cum illudentibus.* Inſtrumento ſeſsionis, ut ſuprà dictum, omiſſo. Quid verò ἀὶ ὁ, ſenes? ἐπὶ καθέδρᾳ λοιμῶν οὐκ ἐκάθισεν reddunt nimirum: quos ſequitur Vulgatus, qui: *& in cathedrâ peſtilentiæ* (veriùs *peſtium* in plur.) *non ſedet.* Ita Vetus editio quædam (κατὰ πόδα) Germanica apud me, anonyma: Vnd nit ſaß in dem ſtuel der peſtilentz. Singuli ſcil. ſecuti magis ſenſum quàm literam (V. & conf. Fr. Titelmannum in annotat. poſter. & Bellarm. in comment. in h. l.) non incommodè tamen omninò, imò emphaticè planè hac vice, etſi, ut modò dictum, non juxta ῥητὸν. Λοιμὸς quippe vocant tales, *peſtes*, non λοιμικὸς, *peſtilentes; peſtilentiam ipſam*, abſtracto pro concreto poſito, ἐνεργελικῶς, ut ſolet fieri, notumq; in vulgus: minimè homines, furias potiùs ex inferis emiſſas in perniciem generis humani. Quo nomine Apoſtolum Tertullus Orator Senatus Judæorum coram Præſide Felice graviſsimè accuſaturus etiam dignatur Actor. XXIV, 5. τὸν ἄνθρωπον, inquit, τοῦτον λοιμόν: conf. 1. Corinth. IV, 13. Proporrò Aquila, Ponticus, nomine κλευαστῶν: Symmachus, Samarites, πλανητῶν, (conf. Lex. Vetus, apud Druſ. in fragm. ſuper h. l. πλανήτης, *impoſtor, ſtellionator*, πλάνησις, *impoſtura, ſtellionatus*) Helleniſtæ reliqui, h. e. V. & VI. ed. ψευδονόμων ſalutant: quippe nomina correſpondentia genio horum non ſatis fortaſſe reperire potuerunt. Deſcriptionem talium colligere jam ergò utcunque liceat ex ſeqq: S. Scripturæ locis:

Proverb.XIV,9. *Stulti deridebunt,* לִיץ *delictum.* Luther: die Narren/ Gottloſen/ treiben das geſpött mit der Sünde. Cap. XIX,28. *Teſtis iniquus, Beliaal, deridebit* לִיץ *judicium:* in quem locum R. David Kimchi in lib. rad. *Componet* ſive *palliabit teſtimonium ſuum bonitate Verborum.* R. Hinnon: *pervertet judicium ſophiſticè loquendo:* & cap. II. Proverb. v. 14: *qui lætantur facere malum, exultant in perverſitatibus mali.* 2. Timoth. II, 17. *Sermo eorum depaſcit, ut gangræna:* Ihr Wort friſt vmb ſich/ wie der Krebs. Conf. omninò & loca ſuperiùs citata. 1. Timoth. IV, 1. & 2. 2. Petr. II, 12. ſeqq. Judæ verſ. 10. ſeqq. Joh. VIII, 44. Epheſ. IV, 18. & 19. Exempla item ejus rei, ſive extremè facinoroſorum talium habemus cùm in Scripturâ S. tùm veteri atque recentiori hiſtoriâ, in Pharaone, Core, Dathan, Abiram, Senatu populoq; Judæorum contrà Chriſtum innocentem furentibus. Talis לִיץ imprimis item erat Zimri Numer. XXV. faſtoſus atque impœnitens ille, cujus thraſonica deſcribitur Oratio ſive invectiva in Moſen, apud Joſeph. antiquit. Jud. lib. IV. cap. VI. p. m. 51. Orationem haud abſimilem vid. item Jeroboami, ſatis concinnè adornatam, quâ idololatriæ ſuæ recens inſtitutæ fucum obducere ſatagebat, apud eundem, Joſeph. antiq. l. VIII, cap. III. p. m. 125. Talis Pontifex etiam erat ille Romanus, quando ad Cardinalium ſuorum quendam: fabulam, (intelligebat de Chriſto Jeſu, Servatore noſtro) plurimum usque huc ſibi profuiſſe: Princeps item in Comitiis Auguſtanis quidam, qui curam circa religionis negotium meras ineptias eſſe dixiſſe fertur. Qualem fere in modum etiam Cyclops ille apud Homerum dicit:

Οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχοιο ἀλέγουσιν,
οὐδὲ Θεῶν μακάρων.

Postremum Vocabulum יָשַׁב denique quod concernit, in ejusdem naturam seu vim suprà jam inquisivimus: id unum saltem adhuc notamus: Chaldæo uti placuit verbo אִסְתְּחַר in Ethpeël, quod & ipsum quidem significat *conversari cum aliquo liberè:* cæterùm non sine emphasi suâ quadam insuper, ac idem ergò est, quasi *assidere, discumbere in circulo, consultandi*, item *discendi* aut *convivandi etiam gratiâ:* à themate suo סְחַר activo, propriè quod significat *circumire, negotiari, mercari, nundinari:* unde Schachren Germanorū, vel quasi, aut Haussiren & סוֹחֵר Schachrer/ Jüde. A quo videri poterat non longè quoque distare Symmachus, qui: ὃ κεκοινώνηκεν. (Xenoph. κοινωνεῖν σίτου καὶ ποτοῦ, *cibo & potu uti communiter cum aliquo)* V. & VI. verò latiùs aliquantùm: ὃς ἐχρέσθη. Arabem Syrumq; superiùs audivimus.

Hactenus itaque Ἀπόφασις, sive descripta Beatitudo, verè quæ talis est, Hominis, per negationem s. καθ' ἄρσιν, in tribus eademque membris, secundùm gradus impietatis vel ipsorum impiorum: quorum primi fuerunt רְשָׁעִים intrinsecq; mali maximè improbique animo, naturæ item quodam contaminati vitio, non exclusis interim etiam hîc, qui ex infirmitate peccant nonnunquam humanâ, quibus ideo עֵצָה consilium, atque ambulatio, conversatio (הלך) adscribitur: secundi ordinis porrò חַטָּאִים malitiosi peccatores, actualiter atque ex contracto quodam qui maximè habitu peccant, quibus דֶּרֶךְ via, habitus atque usus, & עמד stare, per-

perſiſtere, inhærere tribuitur: tertii denique conſummatiſsimæq; impietatis לֵצִים Irriſores, DEI nempe atque hominum, operum Illius atque cultus, omnisque adeò religionis, verbo ἄθεοι, finaliter in hac ſuâ impietate contraq; conſcientiam perſeverantes, indurati, quibus ipſis vel ideo מוֹשָׁב cathedra, ſedes q. vel eaq; placida atque ſecura ſeſſio attribuitur. V. & conf. omninò infra *Obſervat. VII.* Removentur itaque tandem ac ſummatim ab אשרי האיש Beato hoc, verè tali Viro, Pioque quocunq; homine, utriusque ſexus, gradus hi tres dicti impietatis ſ impiorum, hoc modo: ut, ſi aliquando 1. ex infirmitate humanâ in conſilio quidem impiorum ambulaverint (nunquam enim Vates vel Spiritus S. dicit: beatus qui non eſt peccator, omnes enim peccatores ſumus; vel: qui cum peccatoribus planè non converſatur: id enim in mundo hoc eſt impoſſibile conf. 1. Corinth. V, 10. quæ eſt obſervatio B. Geſneri in h. l. in marg. pag. 3. col. 2.) non tamen in eodem conſiſtant: vel 2. ſi conſtiterint tamen vel maximè aliquando & ad tempus præter ſpem omnem & opinionem: 3. viciſſim tamen non contra conſcientiam & finaliter deſideant in cathedra extremè horum facinoroſorum, לצים, ἀθέων, illudentium.

חלת אבן:

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-566568-p0025-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-566568-p0026-4

01 A 6640

ULB Halle
003 108 309

Sb.

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-566568-p0028-5

HILOLOGICARUM

MUM

U M,

A,

ma primum.:

blicè

â Wittebergenſi,

DE

NNERTO,

ubl:

te

WASMUTH,

olſato.

is antemerid.

Majori.

.III.

RGÆ,

i, Acad. Typogr.